



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XLV. Et Ultima. De dissolutione Concilii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

anne Antiocheno patriarcha , ac regum , principum , prælatorum , nobilium , communitatum , vniuersitatum , studiorum & collegiorum ambasiatoribus , ac aliis Christi fidelibus in multitudine copiosa .

## SESSIO XLV. ET VLTIMA.

*De dissolutione Concilii.*

**V**ENERIS die vigesimasecunda mensis supradicti Aprilis fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi , sanctissimo in Christo patre & domino , domino nostro Martino diuina prouidentia papa quinto in eadem præsidente , serenissimo principe domino Sigismundo Romanorum , &c. rege , insigniis imperialibus induo interessente . Pro cuius sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Antonius tituli sanctæ Susannæ sanctæ Romanæ ecclesiae presbyter cardinalis Aquileiensis vulgariter nuncupatus , Misam de Spiritu sancto deuotissime celebrauit . Qua finita , & litanii cum solitis orationibus finitis & peractis , reuerendissimus pater dominus Vmbaldus miseratione diuina tituli sancti Viti in macello diaconus cardinalis , de mandato ipsius domini nostri totiusque sacri Concilii , prout afferuit , alta & intelligibili voce pronuntiauit hæc verba , videlicet .

*Absolutio Concilii.*

Domini , ite in pace . Et responsum fuit per adstantes : Amen . Quo facto , reuerendus pater Ioannes de \* Podomitis Po- dimitis episcopus Catanensis , frater ordinis Prædicatorum , sacræ theologiae professor , de mandato domini nostri papæ , & consensu sacri Concilii ( vt afferuit ) ambonem ascendit . Antequam autem ad talia se diuerteret , seu procederet , ambasatores serenissimi principis Vladislai Poloniae regis , & illustrissimi principis domini Alexandri , alias Vuitoldi magni ducis Lituaniae , petierunt nomine dictorum dominorum quemdam libellum , & in eo contenta cuiusdam fratris Ioannis Falkemberg , notorie crudelissimos errores & hæreses ( vt dixerunt ) continentem , rite damnatum tamquam hæreticum per deputatos in causa fidei , ac etiam per omnes nationes Concilii , ac per collegium cardinalium conclusum ( prout dixerunt ) constare publicis instrumentis , in sessione publica per sacram Conci-

MARTINVS CONSTANTIENSE. SIGISMUNDVS 609  
P. V. IMP.

ANNO CHRISTI 1418. Concilium damnari, seu publice damnatum pronuntiari, antequam præsens Concilium dissolueretur, sanctissimo domino nostro papæ præfato humiliter supplicarunt: aliquo nomine quo supra protestabantur de grauamine & de appellando ad futurum Concilium. Quibus factis, sanctissimus dominus noster papa dixit respondendo ad prædicta, quod omnia & singula determinata, conclusa & decreta in materiis fidei per præsens Concilium, conciliariter tenere & inuiolabiliter obseruare volebat, & nunquam contraire quoquo modo. Ipsaque sic conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo. Et illud idem iterato fecit dici per organum domini Augustini de Pisis fiscalis & sacri consistorii aduocati prædicti, qui nomine papæ a protonotariis & notariis ad scribendum acta Concilii ordinatis & deputatis petiit instrumenta publica fieri. Et extunc prælibatus dominus episcopus Catanensis fecit collationem solennem, assumendo pro themate hæc verba, videlicet: *Vos nunc tri-* Ioan. 16. *stiriam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Quia* quidem facta collatione, reuerendissimus pater dominus Antonius tituli sanctæ Cæciliae, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, de Chalanco vulgariter nuncupatus, de mandato ipsius domini nostri papæ & voluntate Concilii (vt afferuit) quædam decreta publice legit huius tenoris.

*Martinus episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam  
rei memoriam.*

Hoc etiam requirente præsente sacro Concilio, ex certis & rationabilibus ac iustis causis ipsum Concilium absolvimus, omnibusque & singulis in eo existentibus ad propria remeandi, ipso approbante Concilio, licentiam imprimimus. Item auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, & nostra, concedimus omnibus & singulis, qui in hoc sacro Concilio & causa ipsius interfuerunt, absolutionem plenariam semel in vita, ita quod quilibet de prædictis infra duos menses postquam ad eius notitiam concessio huiusmodi peruererit, possit dictum beneficium absolutionis assequi in forma: similem concessionem facimus in mortis articulo. Et intelligimus

*Concil. Tom. 29.*

H h h

ANNO  
CHRISTI  
1418.

tam de dominis, quam de familiaribus eorumdem: sic ta-  
men, quod a die notitiæ præsentium pro absolutione in vita  
ieiunent per annum sexta feria, & pro absolutione in mor-  
tis articulo per alium annum, nisi legitime fuerint impedi-  
ti, quo casu habeant alia pietatis opera peragere. Post se-  
cundum vero annum debeant etiam usque ad finem vitæ  
feria sexta ieiunare, vel aliqua opera pietatis peragere. Nul-  
li ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ abso-  
lutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis  
autem hoc attentare præsumperit, indignationem omni-  
potentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum e-  
ius, se nouerit incursum.

Datum & actum Constantiæ in loco sessionis publicæ  
dicti Concilii, decimo Kalendas Iunii, pontificatus nostri  
anno primo. Quibus decretis & statutis, & aliis (vt præmit-  
titur) lectionis & peractis, reuerendissimus in Christo pater &  
dominus, dominus Ioannes miseratione diuina episcopus  
Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecan-  
cellarius, Viuariensis vulgariter nuncupatus, nomine sa-  
cri Concilii prædicti (sicut asseruit) respondit, Placet. Et  
per dominum Augustinum de Lante de Pis, aduoca-  
tum sacri consistorii, fiscique, & prædicti nomine papæ &  
Concilii (vt asseruit) petitum est instrumenta publica fieri  
ad perpetuam rei memoriam a protonotariis sedis apo-  
stolicæ, notariis ac scribis dicti sacri generalis Concilii.

---

ERRORES IOANNIS VVICLEFF  
de Anglia, & Ioannis Hus de Bohemia, damnati in hoc  
sacro generali Constantiensi Concilio.

*Martinus episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratri-  
bus archiepiscopis & episcopis, ac inquisitoribus hæreticæ pra-  
uitatis ubilibet constitutis, ad quos literæ præsentes peruen-  
runt, salutem & apostolicam benedictionem.*

Inter cunctas pastoralis curæ sollicitudines, quibus pre-  
mimur incessanter, illa potissime fortius nos angit, vt hæ-  
reticis de finibus Christicolarum expulsis, suisque falsis do-  
ctrinis & erroribus peruersis penitus, quantum nobis ex  
alto conceditur, extirpatis, orthodoxa & catholica fides  
integra & illibata permaneat, ac populus Christianus in